


DEO OPTIM. MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ;
Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-quartâ mensis Februarii, anno Domini M. DCC. LXV.

M. JACOBO-ALBERTO HAZON,
Doctore Medico, Præside, Theseos Auctore.

An in fœtu, renibus succenturiatis Glandulæ thymicæ & aliis quibusdam partibus, sui sint usus, suæ sint quoque functiones?

I.



AXIMA è minimis quandòque! quasi vellet Naturæ Auctor in utrisque gloriari; È semine exiguo arbor ingens, è glande quercus; homo egreditur è nubeculâ vìx perspicuâ vel primis à conceptione diebus; homo naturæ dominator, à primâ origine punctum saliens; qui in Orbe universo hodiè ambitiosus

æſtuat, nuper inglorius, ſinè nomine, in ovulo unius lineæ diametri habuit incunabula; hominis enim primordia, non in utero, ſed in ovariis; homo nunc tuam ſuperbè jacta originem.

Fœtus & recèns natus primo intuitu crederentur iiſdem omninò partibus conflati, quibus eſt homo in ætate adultâ conſtitutus; ſed perperàm; ſuæ ſunt fœtui partes propriæ & diverſæ, ſpecialis ipſi liquorum circuitus.

Scilicèt inconſultè ageret ille, qui in fœtu functiones quaſdam ſcrutaretur hactenùs minùs notas, eo quod partibus quibuſdam Natura ductum negavit excretorium? Dædaleos ingredimur circuitus, eâ ſpe ducti, fore ut ab Anatomicis melioris notæ adjuti, tandem exitum facilem inveniamus.

I I.

VULT aliquis * fœtûs œconomiam animalem altiùs indagare? ab hepate ſumat exordium. Hepatis moles in embrione multò amplior eſt, ſervatâ proportione, quàm in adulto; neque id ſinè ratione ſpeciali, ſinè gravi Naturæ conſilio factum fuit: in fœtu primarium ſanguinis fontem, primariumve illius circuitum quæris? cor non adeas, hepar inveſtiga; non deſunt quidem reſpirationis organa, deſunt reſpirationis functiones & mechaniſmus: ſic autem peragitur ſanguinis circuitus in fœtu.

Hepar attentè evolve; propè ex illius centro, duos intrà lobos præcipuos, & ſciſſuram intrà majorem, apparet vena umbilicalis; indè illius origo, ſpargit indè brachia, dividiturque in ramos quatuor inſignes, quorum prior lobum hepatis ingreditur ſiniſtrum, qui amplior eſt in fœtu & recèns natis; in illum enim major pars ſanguinis umbilicalis confluit: ramus alter

* *Mémoires de l'Acad. année 1753, par M.* Bertin, *Médecin de la Faculté.*

lobum hepatis dextrum permeat : tertius brevior, à parte posticâ anteriùs progrediendo paululùm, venam cavam vel hepaticam subit, & canalis venosus dicitur : quartus deniquè ramus longior, iter relegendo, emetiendoque longitudinem plurium palmarum, in poros uterinos inseritur, radicum tenuium instar. Ibi succos combibit maternos sanguineos & lacteos; lacteos ad fœtûs nutritionem & incrementum, sanguineos sub finem graviditatis, ad vasorum tonum erigendum : in fœtu vena umbilicalis venæ portarum æmula, arteriarum vices gerit, dùm rami arteriales, ab iliacis fœtûs oriundi, per funiculi umbilicalis tractum, sanguinem reportant ad placentam & ad ipsummet forsàn uterum.

Ex hâc generali venæ umbilicalis positione, distributione & mechanismo, sequitur in fœtu sanguinis rivos diffundi, hâc mediante, in hepatis substantiam in multò majori quantitate quàm per venam portarum, proindèque ex hepate tamquàm è fonte scaturire sanguineum laticem, nequè esse demirandum, cùr à Galeno & à veteribus sanguificatio concessa fuerit hepati.

Sed ad quid igitùr cordis organa in embrione ? Cor erit secundarium circulationis organum : in fœtu nondùm existit respirationis actio; sanguine nec trajiciente pulmonis substantiam per arteriam pulmonarem, nequè redeunte per venam ejusdem nominis, transit per viam multò breviorem, multòque magìs compendiariam : ambæ enìm cordis auriculæ foramine ovali pertusæ, & sic perviæ, jàm unicam efformant auriculam : canalis arteriosus & aorta unicum quoque vas arteriosum constituunt : hâc viâ breviore, it reditque sanguis; nec indiget ampliore alveo quo exspatietur, quoque varias & multiplices arteriosi systematis subeat alterationes. Diffusus enìm, mediante venâ umbilicali & illius ramificationibus, per totam ferè hepatis substantiam, hepar in fœtu pulmonum functiones peragit, sicque fit in homuncione hæmatosis officina.

III.

ADVEHIT ductus umbilicalis latices purpureos & albos, & humores omnis speciei ad fœtum, in quo nulla fit fæcum excretio, nequè per alvum, nequè per vesicam, nequè per cutim: succus lacteus ipse qui majori copiâ defertur, est refertus partibus crassioribus, minùsque elaboratis, quæ vel elaborari ulteriùs debent, vel separari; succus iste alibilis perfectè & integrè non assimilatur ad nutritionem embrionis illiusvè incrementum. Ut in adulto, sic in fœtu indigent humores purgari: bilis, succus iste digestivus & excrementitius, symbolum quoque suum hîc confert; atqui tamen hepar, glandula ista insignis conglomerata, bilis colatorium nativum in adulto, viscus tanti momenti in œconomiâ animali, hepar, inquam, bili secernendæ in fœtu impar est & ineptum; totum enim est in excipiendo, elaborando, transmittendoque ad venam cavam sanguinis flumine ab umbilicali canali asportato. Vena portarum ipsa, in fœtu vix sui juris est; nec adhùc fœta sanguine oleoso, functiones valet exercere suas; bilis immediatè sanguinis alveo commixta, per venam portarum, hunc inficeret sanguinem.

Operæ pretium est igitùr attentè perpendere, nùm capsulæ veterum atrabilariæ in fœtu bilem avertant, ipsiusmet hepatis vices gerant, illius secretioni & excretioni famulentur, aut saltèm bilis atræ receptaculum qualecumque à Naturâ destinentur.

Nequè abs re erit etiàm examini subjicere nùm Glandula thymus pensum quoddam absolvat, in perficiendo succo lacteo? Nùm Glandulæ intestinales cum suo mæconio, œconomiæ animalis fœtûs aliquid quoque tribuant; cùr deniquè renum moles in fœtu, renum adultorum superet magnitudinem: quæ totidem ad veritatis inquisitionem dicta sunto, usquè dùm veritas ipsa elucescat.

I V.

SECERNI bilem atram à motu placidiori venarum, an à ſyſtole arteriarum emulgentium quid refert in fœtûs œconomiâ animali? Tàm lentè enìm in eo progrediuntur liquores, qui è longinquo, è radicibus venæ umbilicalis adveniunt, ut arteriæ emulgentes venæ portarum æmulæ poſſint effici, tanta quoque eſt in fœtu venarum debilitas, ut minùs œconomiæ animali conferant : ſi aliundè ſpatium amplum ad ſecretionem bilis requiratur, duarum capſularum atrabilarium ſpatia ampla ſunt, fœtûs exigui corporis habitâ ratione.

Renes ſuccenturiati Neotericorum, capſulæ Veterum atrabilariæ, ſunt ſpecies glandularum folliculoſarum, quæ granoſam continent ſubſtantiam, undè ſecernitur ſuccus ſubflavus, niger quandoquè, amarus, bili atræ omninò analogus; cavæ ſunt hæ glandulæ, quemque evomunt liquorem continent inſtar ſacculorum, ceù receptaculorum; venæ referunt hunc liquorem ſimùl cum ſanguine; venas iſtas canales diceres excretorios: ibi, juxtà nos, reſidet bilis atræ emunctorium in fœtu, ſicut in hepate reſidet ſanguificationis officina & organum. Fœtus his inſtructus organis ſubſidiariis, bile non privatur quâ indiget, quâ ſaponis inſtar ſanguis edulcoratur, attenuatur, fluidior redditur; nec enìm voluit Natura in eodem organo ſecerni bilem, ubì confluit ſanguinis delicatioris alveus, nè bile corrumperetur pretioſus latex : ſatius eſſe duxit, ſi longè ab hepate viſcus illud efformaret, quo bilis atra innoxiè ſecerneretur, ceù potiùs contineretur, ac velutì coacervaretur, uſquè dùm fœtus novus homo, novis ſubjectus circuitûs legibus, hepati ſuas permitteret functiones, ſicquè antiqua viſcera, jàm ſinè uſu, ſinè nomine & nutritione, exſiccarentur atquè abolerentur. Nequè capſulæ atrabilariæ ſolæ privatis opitulantur fœtûs functionibus, vena enìm umbilicalis non ſolùm

advehit purpureum laticem, quo vaſorum tonus ſuſtineatur, eâdem mediante, allabitur ſuccus lacteus ad fœtus nutritionem & incrementum. Cùm autèm majori quantitate affluat quàm per eſt, habitâ ratione vaſorum virium, plethoraque ingravaſceret, diſpoſuit Natura provida diverticuli inſtar, receptacula quædam, quæ vaſa nimiùm turgida levarent, glandulam thymicam vocant; eamque Natura poſuit eò loci, ubì nec nimiùm dilatari nec viſceribus aliis nocere poſſet; continetur enìm intrà duas mediaſtini lamellas ſubſternum, ſuprà majora cordis vaſa; glandula hæc ſpongioſa eſt, nec tamèn elatere quodam omninò deſtituta, undè ſuccum lacteum premendo elaborandoque, illum fluidiorem & puriorem tranſmittit ad cordis organa; hæc glandula ex ſucco lacteo, colorem mutuatur album, preſſaque lac emittit purius.

Glandulæ inteſtinales in fœtu communi ſerviunt utilitati; in illis enìm depluit ſuccus gelatinoſus, glutinoſus & reſinoſus, qui inteſtinis præbet mollitiem, tonum impertitur & robur, cavitates ſervat in ſtatu naturali, defæcatque ſanguinis maſſam.

Renes quoque in fœtu adultorum renibus comparati, ſunt multò craſſiores pluribuſque diſtincti lobis & lobulis; ratio in eo ſita eſt, quòd cùm fœtus humanus membranâ careat allantoïdeâ, ampliore renum ſubſtantiâ, mora nectitur longa urinæ ſecretioni; ad eundem finem collimant ſuprà poſiti renes ſuccenturiati, qui vaſorum emulgentium ſanguinem avertunt, atquè detorquent proprios in uſus.

V.

HÆC ſi ſolidis inniterentur rationum momentis, quæ modò propoſuimus ſyſtemata phyſiologica; nondùm cognitus illuceſceret indè mechaniſmus plurium partium in fœtu humano; qui ut innoteſcat, ſingularium partium ſtructuram & uſum evolvere ſigillatìm non ſufficit; cuncta quæ pertinent ad fœtûs

œconomiam animalem, colligenda ſunt, conjungenda, & quaſi uno proſpectu judicanda.

Nequè eſt quod objicias, in recèns nato reperiri omnia bilis organa ritè diſpoſita; reperiri veſiculam bilis bile turgidam, jàmque bilem ad duodenum appellentem; proindèque nullos eſſe uſus veſiculis Veterum atrabilariis à nobis aſcriptos, credo equidèm, versùs ultimùm graviditatis tempus, jàmque perfectâ partium ſtructurâ, partes fœtûs, jàm grandioris, præludere incipiunt futuris functionibus, ſed nil indè contrà uſus ſuprà laudatos : innuimus enìm ſolùmmodò, venam umbilicalem, renes ſuccenturiatos, glandulam thymicam, foramen ovale, canalem arterioſum, & ductum venoſum, hæc omnia viſcera à Naturâ fuiſſe fabricata ad tempus, eo conſilio, ut opitulentur ſanguinis circuitui, ſuppleant vices hepatis, & pulmonum actionis nondùm evolutæ, utque inſerviant ſucci lactei eleborationi atquè perfectioni : partes autèm omnes fœtui ſpeciatìm addictæ tàm ſunt neceſſariæ, ut pleræque ipſi vel in lucem edito, veteres exercere functiones perſeverent, donec lapſu temporis intermiſſæ atque obſoletæ deteri abolerique incipiant.

Inſtabis forsàn, fœtus functionibus lumen admoveri clariùs non potuiſſe, nec proindè functionibus modò allatis, fidem adhiberi poſſe, eò quod partibus ſuprà dictis, ſcilicèt glandulæ thymicæ & renibus ſuccenturiatis Natura canales denegaverit excretorios; ſi enìm his non indiget Natura canalibus, illis ſi venæ ſupplere poſſunt, ſi reverà ſupplent : ſi minùs id agitur, ut ſpecialis humor ſecernatur & excernatur, quàm ut attenuetur, elaboretur, fluidior reddatur, ſpiſſior aut purior, pro re natâ, efficiatur, jàm quid opus erit canalibus excretoriis? Cùr unicum ſecretionum & excretionum ſyſtema admittere? Mediiſne Natura deſtituitur quibus operetur? Et in agendo definitis ab Anatomicis circumſcribitur limitibus? Medici eſt, Naturæ ſequitramitem, & è minùs ob-

ſcuris ad obſcuriora tranſeundo, ipſam è latebris eruere, ac veluti divinatione quâdam illius arcana arripere : obſervationi inſiſtendum, nec ſoli evidentiæ credendum ; ſic plurima quædam abſcondita ſubodorari, & ex unanimi functionum mechaniſmo plùs intueri licebit : à timiditate velum obductum removeamus, quæque adhùc detegenda ſuperſunt in fœtûs œconomiâ animali in lucem prodibunt, aut ſaltem examini altiori ſubjicientur.

Ergo in fœtu, renibus ſuccenturiatis, Glandulæ thymicæ, & aliis quibuſdam partibus, ſui ſunt uſus, ſuæ ſunt quoque functiones.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Matheus-Thomas LACASSAIGNE.	*M. Joſephus* PHILIP.	*M. Petrus* ARCELIN, *Scholarum Profeſſor deſignatus.*
M. Franciſcus PORTIER DE LA HOUSSINIERE.	*M. Joannes* D'ARCET.	*M. Petrus* CHEVALIER.
M. Joannes-Baptiſta-Alexander MAIGRET.	*M. Franciſcus* THIERRY DE BUSSY.	*M. Franciſcus* BERNARD.

Proponebat Pariſiis CAROLUS-NICOLAUS D'ESLON, Tullenſis, Doctor Pontimuſſanus, Sereniſſimi Principis Comitis regnantis Limburgii Conſiliarius Medicus, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1765. à ſextâ ad meridiem.

Typis F. A. QUILLAU, Univerſit. & Facult. Med. Typog. 1765.